

exiſtit, licet non illius oppoſiti actualis eventus: A
ſive utrumque oppoſitorum ad quod potentia ſe
habet, eſt poſſibile, unum tamen eſt incom-
poſſibile alteri: vide quaſt. 6. de verit. art. 3. ad 7. &
quaſt. 6. de ma. art. 1. ad 16. & Scotum in 4. d.
De li-
bertate. 49 q. 13. Itaque indifferentia voluntatis quæ ad
libertatem requiritur in hoc ſita eſt, quod volun-
tas nulla naturali neceſſitate ſit adſtricta ad alteru-
tram partem contradiccionis; ſed quando vult
unum, eodem tempore poſſit illud ipſum non vel-
le: quæ indifferentia non tollitur per hoc quod
Deus eam ad alterutram partem determinet, ni-
hilo magis quàm per hoc quod ipſa ſeipſam deter-
minet. Nam quod nonnulli reſpondent hanc deter-
minationem eſſe ab intrinſeco, illam verò ab B
extrinſeco, non eſt adrem, quia Deus non eſt
qualecunque extrinſecum fed eſt prima cauſa quæ
operatur in unoquoque ſecundùm ejus proprietates,
quæque naturales rei proprietates quas dedit
conſervat, non tollit.

Object. 2. Voluntas non poteſt aliud eligere
quàm id ad quod determinatur, ergo non eſt in
ejus poteſtate agere & non agere. Reſp. quod in ſen-
ſu composito non poſſit aliud eligere, poteſt tamen
in diviſo. Sed non eſt putandum quod intelligamus
ſenſum diviſum eſſe hunc, fieri poteſt ut ſi non
determinetur non agat; ſed ſenſus diviſus eſt,
fieri poteſt ut is, qui jam movetur, determina-
tur, & agit, abſolute non agat, qui eſt verus, C
quia etiam tum cum agit ſic agit ut poſſit non agere,
quia habet principium intrinſecum ſufficiens
ad non agendum, quamvis nunquam continget
quod non agat quando movetur: hic eſt enim
ſenſus compositus, & eo ſignificatur fieri poſſe
ut is qui movetur & determinatur ſtante determi-
natione non agat, qui eſt fallus, quia involvit in-
compoſſibilia, ſcilicet voluntatem moveri, id eſt
agere, & tamen non agere. Sicut hujus propoſitionis
ſenſus compositus eſt fallus quia involvit incom-
poſſibilia: eſt enim talis, fieri poteſt ut ſedens
dum ſedet ſtet, fieri poteſt ut æger dum eſt æger ſit
ſanus, cum tamen ſenſus diviſus ſit verus, fieri po-
teſt ut is qui ſedet ſtet, qui eſt æger ſit ſanus. Hanc
diſtinctionem à Philoſopho, S. Thoma, Scoto &
alijs viſitatam irridant aliqui, ſed melius ignoran-
tiam ſuam culparent quàm antiquorum doctrinam
irriderent. Nam & ipſi per hanc diſtinctionem
exponere debent illam propoſitionem: prædeſti-
natus poteſt damnari; & reſpondere ad hoc ar-
gumentum. Si Deus hominem vocat eo modo
quo vidit illum ſecuturum, fieri non poteſt ut ho-
mo non ſequatur, ergo tali vocatione poſita homo
non poteſt non agere id ad quod ſe vocatur. Cum
hac reſponſione coincidit illa quæ dicitur hæc pro-
poſitio. Si Deus determinat neceſſariò agit, eſſe
vera de neceſſitate conſequentiæ & conditiona-
ta, non de neceſſitate conſequentis & abſoluta
quæ libertati opponitur. Sic reſpondet B. Tho-
mas 1. 2 q. 10. art. 4. ad 3. Si Deus determinat
voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod volun-
tas ad illud non moveatur, non tamen eſt impoſſi-
bile ſimpliciter: unde non ſequitur quod voluntas a Deo
ex neceſſitate moveatur. Sed contra, videtur quod ſi
impoſſibile ſimpliciter ſi voluntas determinatur,
quia poſſibili poſito in eſſe, nihil ſequitur impoſ-
ſibile; ſed poſita hæc in eſſe, voluntas quæ determina-
tur poteſt non agere, ſequitur impoſſibile, ergo
illa non eſt poſſibilis. Probat minor quia dicitur

quod hæc ſit impoſſibilis voluntas quæ determi-
natur non agit. Reſp. negando minorem, quia hæc
propoſitio de poſſibili voluntas quæ determina-
tur poteſt non agere non eſt ponenda in eſſe per
iſtam, voluntas determinatur & non agit quæ eſt
impoſſibilis, ſed per illam. Hæc voluntas (etiã ſi
deſignetur ea quæ determinatur) non agit, quæ ab-
ſolute loquendo eſt poſſibilis, ſicuti hæc, album
poteſt eſſe nigrum, non ponitur in eſſe per hanc,
album eſt nigrum, ſed per iſtam: hæc res (de-
ſignata etiã ea quæ eſt alba) in nigra, quæ ab-
ſolute eſt poſſibilis. Per ſimilem diſtinctionem ne-
ceſſitatis abſolutæ & conditionatæ Boëtius lib. 5.
de conſolat. Philoſophiæ reſpondet ad argumén-
tum quo videtur concludi ea quæ Deus præſcit ne-
ceſſariò evenire. Similiter & B. Thomas 1. 1. con-
tra Gent. cap. 68. addens quod in his & in omni-
bus ſimilibus quæ Dei ſcientiam circa contingen-
tia oppugnant argumentantur ſecundùm compo-
ſitionem & diviſionem falluntur: quod idem
prorſus eſt dicendum de illis qui libertatem volun-
tatis ex præmotione argumentantes ſic impugnant
ut eam tolli arbitrentur, cum tamen non tollat
ſed mutetur, nec infirmetur ſed roboretur.
Sed obijctus Anſelmus de concord. lib. arb. &
prædeſt. cap. 1. & 2. Item lib. cur Deus homo
cap 18. diſtinguens duplicem neceſſitatem, præ-
cedentem quæ ſe tenet ex parte cauſæ, & conſe-
quentem quæ ex parte effectus, dicit illam obſtare
libertati, non iſtam: atqui poſita præmotione eſt ne-
ceſſitas antecedens, ergo tollitur libertas. R. neg.
Subſeq. quia neceſſitas antecedens à B. Anſelmo
vocalur quando cauſa neceſſariò agit, ut patet ex
ejus exemplo quo dicit motum cæli eſſe neceſſariò
quia habet neceſſitatem antecedentem. i. cauſam
neceſſariam. Præmotio autem Dei cauſalitate quid-
dem antecedit motum voluntatis, ſed non eſt
ita antecedens ſicut Anſelmus intelligit, quia non
eſt cauſa neceſſaria. Ita etiã Anſelmum explicat
Alexander Alenſis 1. p. q. 24. m. 5. addens quod
neceſſitas ſequens rei poſitionem, ſive neceſſitas
conſequentiæ non tollit contingentiam rei, ſed ſola
neceſſitas antecedens.

Ob. 3. Quod ſequitur ex hypotheſi ſeu ante-
cedente quod non eſt in noſtra poteſtate, hoc ip-
ſum quoque in noſtra poteſtate non eſt: ſed actus
omnes ſequuntur ex prædeterminatione Dei quæ
non eſt in noſtra poteſtate, ergo illi non erunt in
noſtra poteſtate. Reſp. majorem eſſe falſam, & Romæ
ſub Sixto 4. anno 1476. ſub hac vel ſimili forma
damnata: quod ſequitur ex inimpedibili, ipſum
axioma quoque eſt inimpedibile. Teſtantur hoc Lovanien-
ſes quibus procurantibus damnatio & reproba-
tio facta fuit, probantque illius temporis acta ex hypo-
theſi, duas illas hypotheſes: ſi enim aliquid ſequitur
ex hypotheſi quæ non eſt in noſtra poteſtate, &
ſequitur ex inimpedibili, id eſt juxta axioma
deberet eſſe inimpedibile ſe deberet non eſſe
in noſtra poteſtate. Deinde probatur utriuſ-
que falſitas, quia ex hac hypotheſi & ante-
cedente quod non eſt in poteſtate humana, ſive
ex hoc inimpedibili, Deus ab æterno de-
crevit pati Chriſtum ſuum, ſecutum eſt neceſ-
ſariò ſeu inſallibiliter hoc conſequens, Chri-
ſtus eſt paſſus, quod tamen ſic erat in poteſtate hu-
mana Chriſti ut dicitur ablatuſ quia voluit. Præter-
ea ſi vera ſunt dicta axiomata, omnia erunt neceſſa-
ria, quia omnia ſequuntur ex hypotheſi & ante-
cedente

Expli-
catur S.
Anſelm.

D

E

Iſa. 53.